

tronum vigiliarum suarum nanciseretur. Id cum omnino contigisse videam, præclare mecum, cui nihil magis est infinitum animo, quam illius inhaerere voluntati, actum existimo. Tibi, Serenissime Princeps, igitur hoc opus nuncupo; quod centum fere annorum complectitur spatium, in quo majorum tuorum merita recensentur, tua saltem attinguntur. Quod si fratri meo recentiorum temporum res gestas explicare licuisset, plura quidem, & tuæ virtutis decora, & in patriam merita, quibus ad supremæ hujus dignitatis elevatus es fastigium, enumerasset. Vobis vero, Patres Optimi, quod vestrum est, defero. Supremo enim illi istius augustissimi concilii mandato, nescio id oneris, an honoris dixerim, fuit injunctum, cui satis ipse pro viribus facere nimicus est. Sed, ab altioribus, uti moliebatur, initium ne susumeret, neve ad proxima propius accederet, fata obstatere. Vestrum est, Patres Amplissimi, quæ Reipublicæ gesta continent, auctoritate tueri: civis, qui animam fere ipsam in publicis exercendis muneribus effudit, labores benignitate amplecti: operi, quod imploramus præsidium, elargiri. Majora, Princeps Augustissime, Praclarissimi Viri, vobis, quibus est publica salus concredita, deberi fateor; verum minus propterea gratum hoc fratris mei, meaque observantiae pignus futurum non arbitror: nostri enim addictissimi animi quod testari magis possit obsequium non suppetit: quod maximum habemus, obtulimus.

Venetis, kalendis januarii. CICLOXXIII.